DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS,

EXHIBENS

HISTORIAM TYPHI IN NOSOCOMIO MILIT. GRONINGANO OBSERVATI CUM COROLLARIIS NONNULLIS.

auctore

JOHANNO GERHARDO KLOPPERT.

CHIRURG. MILIT. SECUND. CLASS.

GOUDANO.

DISSERTATIO

MEDICA INAUGURALIS.

DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS,

EXHIBENS

HISTORIAM TYPHI IN NOSOCOMIO MILITARI GRONINGANO OBSERVATI CUM COROLLARIIS NONNULLIS.

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI

AUGUSTI ARNOLDI SEBASTIAN,

IN FACULT. MED. PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

NEC NON

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA

HONORISQUE AC PRIVILEGIIS,

In Academia Groningana,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO OMNIUM EXAMINI OFFERT

JOHANNES GERHARDUS KLOPPERT.

CHIRURGUS MILIT. SECUND. CLASS.

GOUDANUS.

A. D. VII Septembris CIƆIƆCCCXXXVI, Hora XII.

GRONINGAE,

Apud J. OOMKENS,

Academiae Typographum.

FRATRI OPTIMO

LODEWIJK ALEBRECHT KLOPPERT,

CHIRURGO MILITARI PRIMAE CLASSIS.

atque

VIRIS CLARISSIMIS IN FACULTATE MEDICA.

DISSERTATIONEM HANCCE INAUGU-
RALEM SACRUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Studiis Academicis ad finem perductis legi obtemperandum est, ut qualescumque profectum in Medicina Specimen publice exhibeam.

Quae necessitas id solum habet gratum, quum tibi, vir Clarissime A. A. SEBASTIAN *publice gratias possum agere pro summis tuis in me collatis beneficiis.*

Sed vobis quoque, Viri Clarissimi! Quos praeceptores habui in arte medendi. S. E. STRATINGH *et* J. BAART DE LA FAILLE *gratum animum benificor, pro tot tantisque beneficiis, hos studiorum annos in me collatis.*

Neque silentio vos possum omittere, viri Doctiss. expertissim. et praeceptores et duces quos habui in Nosoc. Milit. Ultra-Trajectino, vobis etiam quam maxime me devinctum esse sentio.

Tu etiam vir Doct. KAN! *pro plurimis amicitiae testimoniis accipias publica gratiarum testimonia.*

Et Vos denique commilitones amici conjunctissimi Valete!

INTRODUCTIO.

Quae prodeant L. B. observatio est febris typhosae mitioris gradus, quam in Nosocomio Militari hujus urbis observavi mense Maji hujus anni 1836, quo tempore etiam plures alii casus ejusdem morbi in hac urbe ab aliis medicis curabantur. — Scio equidem nihil novi in hac dissertatione a me esse communicatum, neque fuit meum scribendi consilium in rerum novarum inquisitione, sed potius in eo, ut etiam hujus epidemiae licet non valde notabilis aliquot casus exstarent, in quo suo tempore alius doctior posset conspicere, quamnam indolem ipsa illo tempore exhibuerit.

Etenim uti a singulis incipit quaevis scientia et doctrina, ita de morbis epidemicis nec leges possunt innotescere, nec causae nec formae quas exhibent pro natura loci, hominum vitae ratione caeteris diversae, nisi singulae epidemiae descriptae sint, et earum comparatione pateat, quid essentiale fuerit, quid minus, quid constans, quid fortuitum.

HISTORIA MORBI.

Van Os Amstelodamensis, miles legionis decimae, cohortis primae, in praesidio Groningano, natus erat annos viginti, temperamento lymphatico-sanguineo, statura satis magna, capillis et superciliis fuscis, cute flaccida, musculis non bene expressis, aeque ac ossibus, pectore admodum amplo, parentibus admodum sanis; vaccinae inoculationem subierat octavo aetatis anno, caeterum sine ullo valetudinis detrimento vitam degit usque ad annum hujus saeculi, quo tempore febre intermittenti est correptus. Anno hocce millesimo octingentesimo trigesimo sexto mense Aprilis in castello Delfzijl in febrem gastricam in-

cidit, neque ab hoc morbo totus restaurabatur, quum remaneret lassitudinis sensus, sapor mucosus insipidus, fastidium, cetera, nonnunquam accedenti diarrhoea aquosa mucosa, cephalalgia fere continua; ita ergo aeger se tulit ad diem decimum octavum mensis Maji, quando quidem in meliorem vergere videbatur affectio, sed tamen noster die vigesimo ejusdem mensis vehementi frigore corripibatur, cum insequenti sudore. Licet ab hocce accessu febrili lassitudinis sensus ingrueret, ipse restabat in communi militum domicilio ad diem vigesimum secundum, quo tempore denuo redibat febris. Narrat quidem vehemens in eo accessu frigus fuisse, sed praeterea nihil potest communicare, quoniam ex immodico spirutus juniperi usu in ebrietatem inciderat. Altero die viribus somno paululum refectis, cephalalgia tamen cruciabatur tantaque debilitate, ut in exercitiis militaribus sudor prorumperet universalis, ipseque abire deberet a campo; attamen non prius ad Nosocomium se contulit quam die vigesimo septimo.

Conspectus symptomatum quo tempore aegrum primo visitarem.

Decumbit in dorso, facie magis minusve collapsa, oculis clausis, cute flavescenti, hic et illic obsessa maculis, pulicum morsui haud dissimilibus; pectoris externa exploratio nihil alienum proferebat, percusso eodem, sonus clarus ubique audiebatur, abdomine haud tenso quidem sed paululum sensili et dolenti, dolore tamen vix ingruenti ab edita tussi.

Lingua erat plana, sicca in media sua parte obtecta substantia fusca mucosa, in ambitu magis albescenti, apice rubra, reliquis linguae partibus sicciore, motu linguae haud impedito, sapore amaro, toto oris cavo sicco, deglutitione difficili, fastidio, siti cum potus aquosi frigidique cupiditate, anxietate, et vomutiritionibus, nocte una sede aquosa colore flavescente. Pectus satis erat elevatum; per *stethoscopium* respiratio ubique distincte quidem audiebatur sed tamen in latere dextro evidentior quam in sinistro, ubi formam aliquomodo exhibebat, quam recentiores *râle puerile* nominare solent;

triginta numerabantur respirationes intra minutam, celeritate respirationum respondente earum frequentiae, caeterum respiratione haud difficili, tussi a quavis profundiore inspiratione oriente, sputis nullis, dolore pectoris nullo, decubitu in quovis latere placido.

In cordis regione nihil alienum exstabat, pulsu cordis loco suo naturali circumscripto; pulsu in arteria radiali tam frequenti ut centum et triginta pulsus intra minutam numerari possent, caeterum pulsu parvo debili et quoad tempus aequali pulsui cordis; venis in superficie corporis paululum tumentibus.

Sudor nullus erat, exhalatione in intestinis paululum aucta, uti tenuibus et aquosis sedibus constabat; halitu ex ore foetenti, calore aëris exspirati non aucto, salivae secretione diminuta.

Querebatur aegrotus de sensu caloris et erat quoque calor in toto corpore paululum auctus. In articulis dolor oriebatur a motu corporis.

Quod organa sensus adtinet, oculi erant clau-

si, conjunctiva membrana uti in febre typhosa impleta vasis sanguiferis, pupillis valde dilatatis, sed a luce fortiore se contrahentibus, retina magis sensili. — Caeteri sensus externi praeter ea, quae de lingua jam memorata sunt, uti etiam sensus interni nihil alienum manifesto exhibebant.

Debilitas musculorum tanta erat, ut brachia a me elevata deciderent, nec possent sponte in altum duci.

Haec fere sunt symptomata, quae observabantur, quum primo aegrotum visitarem.

Diagnosis.

Multa igitur morbosa observavimus, et quodvis fere systema sua habebat aegritudinis indicia; jam vero ut ex turba hacce nos expediamus, primum adtendere volumus ad systema vasorum sanguiferorum.

Pulsus quum esset frequens, calor auctus, et frigoris accessus plures antea adfuissent, primum recte judicare mihi videor, quando febre laborare nostrum pronuncio.

Tum quoniam lingua obtecta erat muco, permultaque alia signa exstabant, laesiones in tractu intestinorum indicantia, etiam diarrhaea mucosa, non multum a vero recedam, ubi mucosum statum una adesse declarem.

Fortasse ipsa febris ob eum simultaneam mucosam conditionem ad febres gastricas vel potius enterico-pituitosas recentiorum medicorum referenda est, verum quum ex anamnesi non patuit quid prius adfuerit, num febris an status gastricus, denique, quum nondum certum esset, statum gastricum inter et febrem nexum causarum obtinere, in hac prima diagnosi tutior mihi videor, ubi et febris et status gastricus separatim a me ponantur.

Hactenus igitur vidimus 1°. febrem exstare; et 2°. statum gastricum vel enterico-pituitosum. Restat adeo ut febris indolem contemplemur. Naturam inflammatoriam nemo sane febri tribuere potest, si ad pulsum debilem adtendere velit, ad modicum caloris incrementum, aliaque, quae inflammatoriis febribus communia esse solent. Potius contraria conditio hic ex-

stare videtur, adynamica s. typhosa, uti constat 1°. pulsu debili et valde frequenti; 2°. debilitate summa; 3°. maculis in cute (?); 4°. halitu foetido ex ore; 5°. et denique ipso aegroti habitu externo.

Causae.

Jam mihi ad causarum indagationem hujus morbi transituro in animum revocanda sunt, quae supra sunt memorata. Profecto temperamentum lymphatico-sanguineum, constitutio debilis, satis notata flaccida cute, fibra gracili, et parva systematis ossium evolutione, aegritudo denique, quae mensem integrum jam duraverat, haec omnia non poterant, quin morbosam in aegroto nostro excitarent sensibilitatem, quae simul orta cum debilitate, qua minus posset externis potentiis nocentibus resistere, causa fiebat ad morbum praedisponens. — Jam vero quum constet, levissimas causas sufficere ut quispiam evidentius aegrotescat, si semel praedispositio valdopere sit aucta, non mira-

mur frigus ventusque boreales in sudantem nostrum eum habuisse effectum, ut in graviorem morbum incideret, idque eo facilius, cum febre jam correptus, spirituoso potu abuteretur. Neque etiam dubitandi locus est, quin alios quoque diaetae errores commiserit. — Si ergo ex hicce causis quidem quodammodo recte possimus intelligere, quomodo factum sit ut in febrem incideret et simul in statum gastricum, nondum tamen constat, quid typhosam indolem effecerit. De contagio quod vim suam exserere potuerit, nihil in hoc casu constat. — Fortasse igitur epidemica constitutio, aliaque quae suspicari quidem possumus, sed non demonstrare, in typhosae conditionis causis accusanda sunt.

Prognosis.

Quaevis febris adynamica sive typhosa morbum constituit periculosum; qua de re consentiunt omnes. Magni autem momenti in dijudicando periculo est virium totius corporis

conditio, nam ubi hae non solum suppressae sunt, sed revera diminutae, ibi minus possumus sperare, vim morbi superatum iri a viribus corporis.

Jam noster ex diversis diaetae erroribus, et ex diutius jam protracta aegritudine multas vires probabiliter amisit, quibus alias salutares motus effici possent.

Attamen uti ex hoc exitum minus bonum possumus augurari, ita alia melioris exitus spem afferunt. Inprimis huc refero lentorem, quo symptomata adynamica sunt orta; etenim quo citius symptomata talia oriuntur, eo citior plerumque morbi decursus, et eo minus saepe ad moderandum medicus potest conferre.

Interim morbi typhosi non ei plerumque sunt, ut prognosin committant certiorem, quoniam haud raro moriantur aegri, ubi bonum augurati sumus exitum, et convalescant, ubi malam prognosin pronunciavimus. Ni graviter autem fallor, in prognosi de febribus typhosis inter omnes conditiones ea maximi momenti est, quae petitur a natura magis minusve periculosa

morbi regnantis; ubi nempe universe ben magis decurrit morbus in plerisque aeg ibi in singulis etiam faustiorem licet prog pronunciare.

Nunc quum multi alii quos hisce diebı pho vidi laborantes, restituerenter et c lescerent, ipse audeo etiam in hoc casu ex tum exitum augurari, idque quum sympt pejora omnino desint.

Curatio.

Prima omnium morborum curatio est in tollendis causis, quae indicatio summi momenti habetur, cum causis sublatis, etiam effectus tollantur. Attamen non raro, sed saepe accidit, ut causae morborum lateant, adeoque primae indicationi nullo modo fieri satis possit.

In nostro casu etiam de causis nihil certe quidem habebamus, sed tamen, quum perspiratio cutanea diminuta esset, et forsan hoc decrementum functionis, quae maximam vim ha-

bet in totum corpus ejusque reliquas functiones omnes, reliqua morbosa effecisset, non ineptum mihi videbatur eam perspirationem augere, et restitutionem hujus perspirationis pro prima indicatione recipere.

Dixi quidem in aegroto nostro vires esse diminutas, neque hoc miramur, si decursum morbi contemplemur; verum tamen si ad maximam illam debilitatem attendamus, non possumus dubitare, quin magna pars ejus debilitatis non ita a vero virium decremento, sed etiam ab earum suppressione derivanda sit, adeoque ut altera indicatio constet in suppressionis causa tollenda et removenda; jam quum constet vires saepe supprimi cum a febribus tum etiam a diminutione secretionum, illi ergo indicationi tum satisfieret, si uno ictu secretiones omnes possemus augere tantamque mutationem provocare in toto corpore, ut vires corporis ab impedimentis liberentur, quo in salutares motus sponte erumpant.

Constat inter omnia remedia, quae secretiones corporis humani augent, et simul maxi-

mam vim habent in salutarem aliquem metaschematismum provocandum, ab *emeticis* fere primum locum occupari; Emetica igitur in hoc casu in censum veniebant, neque ulla mala inde merito suspicari poteram, quum nulla esset contraindicatio et imprimis, quum nulla notabilis congestio in capite adesset. — Cogitavi igitur de emeticis; jamque quaerebam num ipecacuanha an tartarus emeticus maxime hic sit laudandus.

Certo praeferendus erat tartarus emeticus, quoniam hic efficacior est in augenda, tum perspiratione cutanea, tum secretione membranarum mucosarum. Praescripsi itaque sequentem potionem *hora ante meridiem septima et dimidia, die mensis Maji duodetrigesimo.*

℞ tart. emet. gr. iij.
aq. comm. unc. iij.
ox. scillit ℈iv.

omni hora quadranti cochlam unam cum dimidio.

℞ acid. tart. sir ij.
aq. commun. unc xiv.
Sacch. alb. unc. i.
m. d. S. pro potu.

Propinati emetici effectus non multo post observabantur; evomit substantiam aquosam flavescentem, flocculis mucosis mixtam; alvum deponebat quinquies sine ullo dolore, eratque faeculenta materia similis ejus, quam evomebat.

Hora tertia post meridiem.

Queritur de sensu lassitudinis, lingua est humidior, pulsus 110 inter minutam numerantur, respirationis autem 22; tussis magis aucta est, plerumque sicca, caephalalgia est diminuta, praesertim in fronte, pupillis dilatatis, conjunctiva membrana uti in typho vasis sanguiferis impleta; nullam reddit urinam.

Hora decima post meridiem.

Nulla notabilis exacerbatio; post horam tertiam duabus sedibus, aquosis.

℞ acid. tart. Scr. ij.
aq. comm. unc. xiv.
Sacch. alb. unc. iβ.
m. d. S. pro potu.

die Maji undetrigesimo.

Nox fuit inquieta, sitis aucta, urinam nullam reddit sed quater per alvum reddit magnam copiam ejusdem substantiae quam heri; conquestus fuerat de abdominis dolore artuumque, etiam de vomendi conatu.

Quum ipse eum visitarem hora septima et dimidia, lingua humida erat minusque obtecta, minusque simul quam antea in media sua parte fusca; deglutitio erat facilis, nullo conatu vomendi; caephalalgia in fronte magis minusve aucta; pupillis valde dilatatis, conjunctiva ut antea impleta, facie tristi; sputis mucosis, respiratione facili; pulsu undulato 112 intra minutam; respirationes 21; — cute molli, calore non aucto.

℞ acid. tart. scr. ij.
aq. comm. unc. xvj
Sacch. alb. q. S.
m. d. S. pro potu.
Sinapism. ad suras.

Hora tertia post meridiem.

Lingua erat humida, fere non obtecta; alvum non deposuerat; urinae uncias fere decem deposuerat, colore naturali, mucosa substantia praeditae; cutis perspirat modice, pulsus numerantur 100.

Respiratio erat facilis, sputis iisdem ac ante meridiem. — Ut secretiones magis promoverentur, praescripsi remedium hoc:

℞ Rad. althaeae unc. i.
coq. in. aq. ad. col. unc. xij.
add.
Muriat. ammon. dr. j.
ox. Simplic. unc. j.
m. d. S. omni hora dimidium Cyathum.

Hora decima post meridiem. —

Exacerbatione nulla.

Die trigesimo mensis Maji, hora septima et dimidia ante meridiem.

Nox fuit inquieta somno nullo, urina naturali; alvum deposuit semel, faecibus consistentibus viridi colore; per totam noctem transpiratione continuata; respiratione facili, pulsus numerabantur 90 molles; lingua erat humida et vix obtecta muco; deglutione facili, nulla tensione in ventriculi regione vel in ea abdominis, caephalalgia non notabili, pupillis dilatatis, conjunctiva injecta.

℞. Rad. althae. unc. j.
coq. in aq. font. ad. col. unc. xij.
add.
muriat. ammon. ℈j.
oxym. Simplic. unc. j.
m. d. S. omni hora dimidium Cyathum.

Hora septima post meridiem.

Fuit ad horam quartam quietus, sed dein magis inquietus fiebat et agitatus, loquax.

Lingua non mutata, pulsibus 130 fortioribus, respirationibus 30, calore totius corporis aucto; transpiratione cutis diminuta; urina colore naturali unciarum med. sex; alvi excretione nulla; nulla caephalalgia, nullo dolore in artibus.

Hora undecima postmeridiem.

Lingua erat sicca, veluti cornea, tenui pellicula nigrescenti obtecta, pulsu parvo, accelerato, frequente 130 intra minutam, calore mordace praesertim in regione epigastrica; nullo pressionis sensu vel doloris in capite articulisque; cute sicca, alvo obstructa, urinae secretione unciarum quatuor cum mucosa substantia, colore naturali.

℞ Rob. ribesior. rubr. unc. iβ.
acid. tart. gr. xv.
aq. commun. unc. xvi.
Sacch. alb. unc. j.
m. d. S. pro potu.

Die trigesimo primo Mensis Maji.

Hora ante meridiem sept. et dimidia.

Nox inquieta fuit, facibus tenuibus colore nigrescenti viridique.

Lingua sicca in media sua parte rugosa, nigrescente, marginibus subrubris, deglutione difficili; pulsus numerabantur 90 molles, aequales, respirationes 20; cute sicca, temperatura aucta, praesertim in cordis scrobiculo; urinae nocte hora tertia miserat fere uncias quatuor, colore naturali, sine sedimento mucoso; pupillis dilatatis, conjunctiva injecta, oculis non valde sensibilibus.

℞ Rob. ribes rubr. iβ.
acid. tart. gr. xv.
aq. commun. unc. xiv.
Sacch. alb. unc. i.
m. d. S. pro potu.

Hora tertia et dimidia post meridiem.

Pulsus erant 112; cute sicca mordace praesertim in regione ventriculi; dolebat a compressione haec regio.

Repet. potio. Hirudin. N°. 3.
in regione epigastica.

Hora decim. post meridiem.

Facies mutata ipseque aegrotus valde est inquietus, delirat, sed respondet ad propositas quaestiones, negatque dolorem sentire; cutis est sicca, mordaxque, etiam lingua sicca, rugosa; per alvum bis deposuit faeces tenues, viridi colore; pulsibus mollibus 120.

℞ Sinap. ad suras.

Die primo Junii.

Hora matutina septima et dimidia; — ad me refertur, per integram noctem aegrotum non dormivisse, sed dilirasse continenter licet taciturne; alvum deposuerat bis, foecibus tenuibus, colore viridi, cum striis mucosis mixtis; urina copiosiore quam antea, colore naturali, mucosa substantia praedita. Ipse vidi aegrum decumbentem supinus; conjunctiva erat injecta, calor auctus, mordax; facie magis

minusve stupida; regione epigastrica non sensili; lingua sicca, rugosa, marginibus subrubris, dentibus pigmento nigro obtectis; pulsibus 100 mollibus debilibus, respirationibus 20.

℞ Sp. Vitriol. dr. ij.
Rob. ribesior unc. i.
Muc. gum. arab. dr. iv.
Aq. commun. unc. xiv.
m. d. omni hor. dim. cyath.

Hora tertia post meridiem.

Pulsus numerabantur 112; dilirio nullo.

Vespere pene nulla aderat exacerbatio, nullumque delirium.

Die secundo Junii.

Post somnum aliquem non diu protractum, et postquam aeger nocte bis per alvum deposuerat faeculentam materiam mucosam, ipse aegrotum visitavi eumque vidi decumbentem absque ullo dolore hora septima et dimidia, conjunctiva rubescenti, pupillis dilatatis, cute molli, sudore universali; lingua minus sicca,

siti non valde aucta, pulsibus 100 mollibus, debilibus; respirationibus 20; urina sedimento mucoso praedita.

Hora tertia post meridiem.

Pulses numerabantur 100.

Die tertio Junii.

Quae fausta mutatio heri se palam fecerat, etiam hoc die erat aperta; cutis modice perspirabat; pulsus erat mollis 90 intra minutam; in urina multum erat albumen.

Die quarto Junii.

Dormiverat aegrotus plures horas, et nunc quo tempore visitavi eum, oculi naturalem colorem recuperaverant, cutis erat humida, lingua mucosa alba, pulsus aderant 85 molles, fortiores; nullus est dolor, sed potius valetudinis sensus. In urina erat sedimentum mucosum, ipsaque urina continebat albumen multum. Materia faeculenta stipata et frequente.

℞ rep. potio.

Die quinto Junii.

Convaluit etiam magis quam heri, omni-

bus secretionibus naturalibus; in urina erat sedimentum mucosum.

Corollaria nonnulla.

1°. Casus, quem discripsimus, ad mitiores gradus pertinet febris enterico-putuitosae nervosae, vel typhoideae. In aegrotis aliis, quos vel ipse curavi eodem tempore, vel alii hujus urbis medici, non multum morbus differebat ab illo a me narrato. Ergo epidemia ipsa et quod ad numerum aegrotantium adtinet, et quod ad morbi vehementiam, ad mitissimas est referenda.

2°. Attentionem mereri videtur tempus, quo dolere incipiebat abdomen; ab initio enim nullus dolor exstabat in una alterave regione illius cavi, etiam nullus, si satis fortiter parietes comprimerentur. Dolor serius advenit, postquam febris jam plures dies duravit. Vix possumus dubitare, quin sensus doloris ortum suum duxerit ab affectione intestinorum in morbo, de quo dicimus, vulgari. Jam vero

num ex observatione illa sequatur, intestinorum affectionem inflammatoriam et inprimis mucosae internae membranae, secundariam fuisse? ipse non opinor. Potius in hoc uti in multis aliis casibus credo affectionem intestinorum antea quidem jam adfuisse, sed sensim tantum cepisse incrementum, ut nunc evidentioribus symptomatibus se palam faceret. Caeteroquin dolor in abdomine non solum in illo discripto casu, sed etiam in omnibus reliquis tam sero exortus est.

3°. Ex nostro casu insuper patet affectionem intestinorum, si tantum ejus maxima vis apta medicina debilitetur, sponte tum sensim in meliorem partem vergere, quando reliqua symptomata morbosa evanescunt. Etenim praeter applicationem hirudinum nihil fecimus contra illam affectionem, et nihilominus sensim ad naturalem statum redierunt intestina, ut paulo post faeces etiam non amplius alienae viderentur.

4°. Momento plenum etiam albumen videtur, quod in urina expertus sum, non solum

ejus aegroti, cujus historiam morbi enarravi, sed etiam aliorum, quos ipse quidem observavi, sed quorum historiam morbi non commemoravi. Prodidit scilicet illud albumen, quando urina vel coquebatur vel miscebatur cum acido nitrico. Constat ab aliis quoque medicis jam saepius albumen fuisse repertum in urina inprimis eorum, qui hydrope laborabant vel hepatitide. Itaque albumen tum solet in urina occurrere si nutritio labefacta sit adeo, ut principia nutrientia nunc organis excretoriis tradantur.

TANTUM.

THESES.

I.

Meam non facio sententiam virorum Clarissimorum BISCHAT *et* BROUSSAVII, *statuentium: tubercula pulmonum ab inflammatione oriri.*

II.

Cum viro Clarissimo ALBERS *consentire nequeo, quum affectionem intestinorum et mesenterii, quae Dothinenteritis nominatur a scrophulis, quibus typhus sit complicatus repetat.*

III.

Sententiam viri Clarissimi A. A. SEBASTIAN, *Phthisin ab haemoptoe non oriri, statuo.*

IV.

Sententiam, Paralysin morbum esse, uti ex descriptionibus PINELLI, LANDRE BAUVAIS, CHOMELLI, DOUBLE *et aliorum patet, meam non facio.*

V.

Remedia debilitantia uti laxantia venaesectiones caet., in morbis contagiosis, ut prophilactica saepe sunt nociva.

VI.

Non semper in morborum curatione ita est versandum, ut primum causae dein effectus tollantur.

VII.

Asthma sic dictum nervosum in senibus mihi videtur, suam causam in pluribus casibus repetere ab aneurismate ventriculi sinistri et ossificatione et courctatione aortae.

VIII.

Vis nervea in formando musculorum negari nequit.

IX.

Remedia laxantia saepe sunt nociva in strictura ani.

X.

Statuo omenti resectionem in hermia incarcerata, post operationem, ligatura meliorem esse, degeneratione locum habente.

XI.

Quando solummodo ad magnitudinem pelvis attendamus tunc partus praematurus non in primipara instituendum est.

XII.

Parturitio nimis celeris, non raro magis metuenda est, quam nimis tarda.